HIDROLOGIA

Sive

SUDORIS THEORIA

ADJUTORE DEO

&

PRÆSIDE

JOHANNE CUNRADO

BROTBEQUIO,

Philoſoph. & Medicinæ Doctore,

ejusdemq́ue ac Phyſices Profeſſore

Ordinario,

Publicè defendenda

à

LUDOVICO THEOPHILO Breűning/

Stutgardiâ Würtemb.

In Auditorio Philoſoph. Æſtivo,

Die Menſis JunI.

TUBINGAE,

TYPIS imprimebat THEODORICUS WERLIN

ANNO M. DC. LX.

6

VIRO NOBILI, EXCELLENTISSIMO, AC EXPERIENTISSIMO,

DOMINO

Gottlieb Breüning/

Philoſoph. & Medicinæ Doctori, Archiatro Würtembergico, & Poliatro Stutgardiano, &c.

PARENTI ſuo ut Optimo, ita etiam perpetuùm colendo, & piè amando:

Exercitium hoc Academicum, ceu primum Ingenii ſui fœtum

Offert & dedicat

Obſervantiſſimus Filius.

LUDOVICUS THEOPHILUS Breüning/
Author & Reſpondens.

I. N. D.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

SCilicet non fruſtra veteres Ethnici ſcriptores veriverbium iſtud: *Virtutem ſudore Dii poſuere parandam*, nobis tàm frequenter oggerunt, atque inculcant. Certè tantùm abeſt, veritatem iſtius adagii quendam noſtrum poſſe infringere, ut potius unanimi conſenſu fateri neceſſum habeamus, etiam parvulos infantes, vixque è Matris ſinu in lucem hanc mundanam proſilientes Prophetas quaſi nobis eſſe, futuræ noſtræ conditionis, puta, calamitatum, laboris, & ſudoris, quæ mala adusque ultimum vitæ terminum nexu indiſſolubili terræ filios omnes conſequuntur. Id quod peroptimè penſitavit multùm mihi laudandus Imperator Romanorum, *Severus Pertinax*, qui laborioſiſſimam hominum conditionem ſecum reputans, nullum aliud ſibi, ethnicus

licet, ſymbolum eligi curavit, niſi breviſſimum hocce: *Laboremus.* Nos ex verbo gratiæ meliora edocti cognitum habemus, per lapſum primævorum Parentum, inobedientibus nobis primùm jugum iſtud durum fuiſſe impoſitum, ita, ut, quem antea alacri ſemper animo panem comedere potuiſſemus, nunc eo
Gen.3.c. in ſudore vultus noſtri veſci cogamur. Cùm ergò jugi iſtius acerbitatem, faciemq; amaro ſalſoq; ſudoris madore ſæpiſſimè irroratam experiamur, injurius certè & ſibi & mihi eſſet, qui propoſitum meum, ſcil. ſudoris naturam interiorem perſcrutandi, vellet culpare.

Tu ô DEUS utile & dulc-amarum hoc ſudoris onus mihi ſuſcepturo, animi ingeniiq́ue robur adde, quo facilius oneris gravitatem, cui ferendo abſque tua gratia vires languent, tàm geſtare, quàm feliciter deponere queam, tibi propterea ſempiternam laudem nunquam non dicturus. *Fiat!*

Theo-

ΣΥΝ ΘΕΩ!

Theorema Primum.

Sub interno Sudoris conceptu, abſolutam hujus naturam inveſtigaturis expoſitione tum nominis, tum rei opus eſt. De nomine igitur, & ſignificatione paucula prælibamus.

Ἐξήγηϛις.

JUbet hoc methodica cujus vis rei tractatio, Philoſophorumque omnium communis ſententia, ut ſcilicet ab interno ad externum rei conceptum progreſſus fiat. Quoad priorem, ſequimur primo omnium illud Ciceronis monitum, cujus vi omnis, quæ à ratione ſuſcipitur, rei alicujus tractatio, à nominis explicatione & rei ipſius expoſitione proficiſci debet, ut, de quo diſputetur, eò facilius, pleniusque poſſimus intelligere. Vocabili autem *SVDORIS* ſenſum atque medullam perſcrutantibus, occurrit nobis perpulchrè eum exprimens græca vox ἱδρὼς, quæ paululùm immutata quaſi ὕδωρ dicitur, ut ſic aquæ, cujus naturam Sudor refert, nomen importet. Dicitur aliàs *humor, & mador aquoſus* per cutem exudans, item *ſeroſa colatura*, &c. Germanis der Schweiß appellatur. *Homonymian* quod attinet, Sudor primò abſolutè & propriè ponitur, ita ut Phyſico ſenſu cutaneum quendam

è corpore manantem humorem in genere ſignificet, qui variis de cauſis varius elici, & effundi ſolet, quemadmodum apud Virgil.

Æn. 3. Tum gelidus toto manabat corpore *Sudor*.

Metaphoricωs frequentiſſimè *pro labore* ponitur, unde modo allegatus Poëta memorat:

Æn. 9. ----multo phaleras *Sudore* receptas.

Georg. l. 1. Accipitur etiam *pro pediculari morbo* immundus Sudor ab eodem Poëta, per metonymiam. Denotat quoque vaporem, fluorem, madoremque aliarum rerum quemcunque: ſic plantis reſinas, balſama alioſque liquores emittentibus Sudor tribuitur, unde illud Virgilii:

Eclog. 3. ----duræ quercus *ſudabunt roſcida mella*,

& iterum:

L. 2. Georg. Quid tibi odorato referam *ſudantia* ligno *Balſama?*

Sic quoque terra frequenter apud Poëtas *ſanguine ſudat*, i. e. madet, quemadmodum apud Virg.

Æn. l. 2. Dardanidum toties *ſudavit ſanguine littus*.

Transfertur quandoque etiam ad animum, hinc Iuvenalis:

Et quod præcipuè *mentem ſudoribus urget*,

Nos autem in hujus materiæ tractatione impropriis hiſce miſſis, priorem & proprium ſenſum retinemus. Ubi tamen notatum volumus, nè rigidè nimis Philoſophantibus offendiculo aut ludibrio ſimus, nos Sudoris conceptum non merè accidentaliter accipere, quatenus ſcil. ſtrictè loquendo, motum duntaxat humori impreſſum, ſeu effluvium & condenſationem in guttulas denotat; ſed ſimul materialiter, & concretivè à nobis ut plurimùm attendi. Hinc inde tamen

pro

pro varia ſcopi ratione utrique acceptioni aliquid tribuendum erit. Id quod in doctrina meteorologica ante nos & alii fecere.

Theorema II.

Ad rem ipſam ſeu Pragmatologiam enodandam, definitio, ac diviſio utramque abſolvunt paginam, definitio autem per viam geneſeos conſtruenda deducit nos ad genus *Sudoris, quod eſt* remotum, propinquum *&* proximum.

Ἐξήγησις.

Nominis ratione ſic ſatis examinatâ, ipſa ſequitur πραγματολογία, ubi *genus* & differentia conſideranda veniunt, utpote quæ ſatis rei quidditatem exponunt. De genere autem ſollicitus *remotum* prius inquiro. Sudor, qui in rerum naturalium claſſem venit, eſt corpus non merè ſimplex elementare, nec etiam verè mixtum, & ad certam ſpeciem determinatum, ſed eſt intermedii generis, nimirum *corpus imperfectè mixtum* & quidem aqueum, quod nobis ſuadet, minus firma & longè imperfecta humoris iſtius commixtio, unde facile in priſtinum ſuum redire poteſt ſtatum. Idque ad hæc inæqualis materiæ proportio arguit, eò quod in Sudore aquea ſubſtantia prædominans, cum reliquis elementis minus juſtè commenſurata, & contemperata ſit. Præcipuè verò corporis perfectè mixti rem & nomen Sudori denegamus, quia is, quâ talis, ſpecificâ non conſtituitur forma. *Generis*

pro-

propinqui locum hîc obtinet effluvium, non fumus, aut effumigium, vel exhalatio ſicca, educitur enim ex humido animalis corpore variasque impreſſiones & alterationes veluti vapor è terra ſuſtinere poteſt. Nihil autem effluvium illud aliud eſt, quàm humidæ ſubſtantiæ in plurimas, minimas, longè latèque diffuſas atomos, reſolutio, & expanſio, quod Sudori quoque competere, quis ex Medicis & Philoſophis negabit? *Proximum tandem genus* ponimus effluvium animale, & quidem præcipuè in corporis humani cute *condenſatum.* Nam poſtquam effluvia illa vaporoſa per corporis poros jugiter penetrarunt, tandem in ſuperficiè ejus coeunt, & in unum continuum hu- humorem, priſtinamque ſubſtantiam, vel potius conſiſtentiam ſuam rediguntur, & condenſantur. Ideoque generis remoti atque propinqui reſtrictionem exinde deſumimus, ſubtiliſſimo enim humoris effluvio ultimò ſuperaccedit addenſatio, & coagulatio, juxta quam tandem determinandum venit effluvium. Quod & exemplo roris patet, qui veluti effluvium quoddam aqueum eſt in pratis & hortis coagulatum; ita etiam Sudor in cute noſtra ros quidam diffuſus atque addenſatus eſt.

Theorema III.

Differentiam *pariunt; primariò ſubjectum & cauſæ, ſecundariò affectiones & circumſtantiæ.* Subjectum *ſudoris eſt animal, & in ſpecie cutis humani corporis calida, humida, ac poroſa.*

Ἐξηγη-

Ἐξήγησις.

Ne in tractandæ materiæ hujus primo adhucdum limine ineptè hallucinemur, de Subjecto prius cui præcipuè Sudor inſit, agendum nobis erit. *Subjectum* autem non obtrudimus inhæſionis, ſed *receptionis*, quaſi ſit inſtar receptaculi ad ſudorem continendum. Tale verò in genere eſt quodvis animal, quod majore & perfectiore partium ſtructurâ pollet, neque enim de quovis abjecto animalculo illud intellectum volumus. Dicimus ergò, animal eſſe *ſubjectum denominationis remotum* atque genericum, utpote de quo tanquam ſubjecto fundamentali & primo ſudor enunciatur, cui, licet non ut accidens inſit, tamen modo quodam accidentali, nec neceſſariò inhæret. *Propinquum* & ſpeciale ſubjectum eſt corpus humanum, *partialiter* autem ſubjecti ultimi, ſed *indeterminati* vicem gerit cutis ipſa, habitusque corporis externus; *determinate* demum, eadem petitur cutis, quatenus nimirùm caliditate, humiditate, ac poroſitate ad ſudorem proportionata pollet. Sin verò ſtrictiſſime *inhæſionis* ſubjectum aliquis urgeat, dabimus illud impreſſionum meteoricarum more, nempè; aqueam ſubſtantiam. De *animali* & in ſpecie de *homine* probatur 1. ab *experientia* & *ſenſu*. Docent enim vulgi, & Medicorum imprimis obſervationes quotidianæ, quosdam liquorem iſtum tàm copiosè emittere, ut ſudore pene diffluant, & emoriantur. Taceo 2. quod ipſemet peccatorum vindex DEVS laborioſum hunc vultus ſudorem, teſte Spiritu Sancto, nobis impoſuerit. Sic ſudorem brutis quoque competere ſenſus pariter demonſtrat judicium. Videmus enim, ex. grat. indies equos vectarios ſub magno æſtu

duriſque laboribus vehementi equitatione non minus ac homines deſudare. Hinc Propertius:

Has meus ad metas ſudet oportet equus.

Neque 3. *hoc contra rationem eſt*, quid enim miri eſt, poſitâ causâ, poni effectum. Si ergò in corpore animali materia reſolubilis, calor reſolvens, raritas & poroſitas apparent, quid obſtat, quo minus ſudoris ſubjectum animal eſſe audacter, & verè ſimul pronunciemus. *De corpore humano* tam non eſt dubitandum, quàm non dubitatur de toto animali, præſertim cùm præter rationes ſuprà citatas, veriſſimè juxta Hippocratem totum corpus noſtrum ſit ξύῤῥοον & ξύμπνοον. Reſtat ultimum, *ipſa* ſcil. *cutis*, cui ſudorem nemo denegabit, niſi quem ſenſus deſeruit. Determinate autem, caliditatem ac humiditatem ejus quis non deprehendit? per viam verò qui neſcit, interroget Anatomicos, ſecundum quos cutis, cum cuticula foramina habet obſcura, & aperta, infinita, ſcilicet immittendi aliquid gratiâ in corpus, & emittendi ſudorem & fuligines. Ut hinc non ineptè Plato naſſæ cutim comparaverit, ob hæc foramina & poros, qui aliàs inconſpicui, hyberno tempore (ſcribente *Thoma Bartholino*,) conſpiciuntur, cum corpus derepentè denudatur; Tum etiam cuticula anſeris deplumati cutim æmulatur. Ab his poris videtur fuiſſe, quod humana cute pro feneſtris uti quidam Perſarum Rex potuerit, ſi fides *Oribaſio*.

Barthol. An. l. 1. c. 2 Sperl. Anthrop pag. m. 336.

Anat. reform. l. 1. cap. 2.

Theorema IV.

Cauſæ reſpiciunt ſudorem vel generandum, vel jam generatum. In generando gemina

mina occurrit cauſa, materialis *& efficiens.* *Illam dicimus eſſe*, humorem quemlibet reſolubilem, præſertim verò ſeroſum.

Ἐξήγησις.

Ad ſudoris & reliquorum corporis animati humorum differentiam evidentiorem reddendam viam nobis oſtendit diligens cauſarum inquiſitio. Non poſſumus ergò, quin hîc ſupponamus, *materialem* atque *genericam* ſudori efficiendo cauſam præbere, *omnes* in corpore *humores naturales & præternaturales* reſolubiles & attenuabiles, qui nimirum per calorem ita poſſunt ſubtiliari, ut per cutim vaporis & effluvii ſpecie exſudare queant. Argumento nobis ſunt, tum ratio, tum ſenſatio ipſa, quæ ſudorem nunc ſalſum, nunc inſipidum, jam mitem & ſuavem, mox acrem & amarum, jam hoc, nunc illo colore tinctũ manifeſtè deprehendit. Sic icτericorum ſudores ob humorum admiſtionem pallidos, flavosque obſervare licet, imò non rarò virides, à bile porracea. In febribus malignis, lepra, item & ſcabie corruptis ſudores nonnunquam impensè fœtent, non niſi ob fœtidorum pravorumque humorum redundantium admiſtionem. In *Specie* verò juxta Scholiaſtem in *Hollerii* commentarios aphoriſticos ſect. 4. aphor. 36. notanda eſt triplex materia, quarum tamen tertia adæquatè hujus loci non eſt. Verba ejus hæc ſunt: *Materia ſudoris triplex eſt. Aut portio tenuior alimenti tertiæ concoctionis, ejusque ſeri: aut ſerum humorum: aut reſolutio ceu colliquatio proprii, ultimique alimenti ſingularum partium. Proinde ſudoris materia non ſemper ab habitu corporis, ſed ſæpius ab interno manat corpore. Qui in ſanis erumpit ſudor, aut alimenti eſt ſoboles. Sic enim apud*

 Hippo-

Hippocratem Aphoriſ. 41. *multus Sudor per ſomnum factus cibo copioſiore corpus uti ſignificat. Aut ad potum largiorem ſequitur Sic enim qui exercitatione, vel Solis ardore exæſtuat, ſi frigidam liberalius bibat, mox totus ſudore diffluit : aut manat à ſero copioſo, quod vehiculum eſt alimenti, ejusdem generis, cum eo, quod urinam vocant. Sic enim ubi copioſior eſt urina, exigua, aut pene nulla eſt ſudoris materia : aut ea ſi nequeat inſenſili tranſpiratu vacuari, vel per poros cutis confertim erumpere, relata in venas, per quas in habitum corporis delata fuerat, urinæ copiam majorem efficiet. Qui in ægris ſudor emanat, vel vitioſorum humorum, vel proprii humidi partium eſt ſoboles. Quo fit, ut in ægris tria ſudorum genera liceat obſervare; Vnum à vitioſis humoribus in venis aut viſceribus, aut habitu corporis collectis prodiens Alterum, ex reſolutione ceu colloquatione proprii alimenti partium, cujusmodi accidit tum hecticis, tum paulo ante mortem, qui diaphoreticus appellatur. Tertium ab expreſſione humidi nativi, atq; alimentarii earundem partium, facta à dolore atque agitatione ſpirituum, qui ob id, Sudor per expreſſionem nominatur.* Data hîc occaſione quæſtionem interſerere placet *de ſudore ſanguineo*, num & homo talem naturaliter ſudare poſſit? Et reſpondemus, poſſe, cum Clariſs. *Sebizio*, ita differente: *Non jam CHRISTI Salvatoris noſtri ſanguineum ſudorem, quem, ut Evangeliſta Lucas Cap.* 22. *refert, in monte Olivarum ſudavit, proferemus, de quâ forſan aliter ſentiendum, ſed de humani ſanguinis ſudore loquemur. Illum naturaliter fieri poſſe, authoritate magnorum Virorum, Ariſtotelis, Theophraſti, Fernelii, & Rondeletii, & ratione probari poteſt. Ideoq; de τοῦ ὅτι nullum dubium eſt. Quæritur autem de τοῦ διότι, & de causâ ſanguinei ſudoris? Eam verò ex allegatis Authoribus colligere licet : & quidem triplicem*

Diſput. de Sudore, §. 43. & ſeqq

cem: nempe retentricis infirmitatem: pororum cutis laxitatem, & ſanguinis aquoſitatem, ac tenuitatem, quem calor debilis procreavit. Talis enim crudi, aquoſi, & ſeroſi ſanguinis author eſſe conſuevit. Nam ſi vis venarum retentrix adeò ſit debilis, ut ſanguinem ſeroſum ac tenuem retinere nequeat, facilè contingere poteſt, ut is, tenuis cum ſit, & ad motum paratus, per poros cutis apertos atque laxatos exiliat. Cæterum, redundantiæ *ſeroſi humoris cauſam materialem* apponimus, videlicet potulentorum & eſculentorum, præſertim humidorum, tàm rari, quàm quotidiani uſus crebram & largam ingeſtionem, qualia ſunt è potulentis, aqua, vinum, maximè autem tenue & aquoſum, item cereviſia; ex eſculentis, poma, cucumeres, pepones, piſces, carnes, & quamplurima alia. Potus etenim, & alimenta humida quo copioſius corpori ingeruntur, eò magis & citius quoque è ventriculo in totum corpus diſtribuuntur, pariterque ſeroſi humoris materies fiunt. Innuit idipſum quoque *Hippocrates* S. 4. aph. 41. inquiens: *Multus ſudor per ſomnum ſine cauſa manifeſta factus, corpus copioſiore cibo uti ſignificat.* Seri autem ſubſtantia eadem eſt cum urina. *Continetur ejus materia* in ſanguine venarum & arteriarum, etiam in nervis, veniſque lacteis, adeòque in toto corpore, præſertim vero in vaſis lymphaticis nuper à Clar. Bartholino detectis, ut & in glandulis hinc inde intertextis, unde etiam ex cute ſubjectos glandulos habente, nempe ſub axillis, pone aures, circa inguina, largior plerunque ſudor manere ſolet. Plura de ſero qui deſiderat, adeat *Carolum Piſonem* de morbis ex colluvie ſeroſa oriundis; *Iohann-Theodorum Schenckium*, Medicinæ Profeſſorem Jenæ Celeberrimum, de ſero ſanguinis.

Theo-

Theorema V.

Generandi ſudoris efficiens cauſa triplex eſt, reſolvens, movens, & condenſans, Reſolvens *eſt calor viſcerum intenſior.*

Εξήγησις.

Ordinem hunc cauſarum perſecuturi nos ſudoris generationem *primariò Naturæ* adſcribimus, utpote cujus eſt reſolvere, movere & condenſare, idque virtute ſua ſibi principaliter debita. Et hoc vel etiam tacitè præmittimus, atque ſupponimus. *Secundario* denique *calori* etiam ſuam hîc cauſandi vim attribuimus 1. *quoad ſanos.* Calor enim nativus materiam rarefacit, & in halitum vertit. Hoc autem monemus, ſcil. cum calori reſolutionem materiæ adſcribimus, non quemvis calorem hîc ſubintelligi, ſed illum, *qui virtute ſua etiam multitudini materiæ reſpondet.* Poteſt enim juxta Clar. Sennertum calor dici debilis in ſe & ſuapte naturâ, ut qui in materiam quidem agit, eamque aliquo modo diſſipat, verùm ob debilitatem imperfectè & diminutè. Deindè poteſt etiam calor dici debilis reſpectu materiæ, qui etſi alias ſatis fortis ſit, tamen à tanta materiæ copia obruitur, & opprimitur quaſi, ut eam totam vincere non poſſit, quod accidere videtur, ſi calor nimis ſubito totam materiam reſolvere conatur. Tandem & hoc ſciendum, ſudoris cujuslibet cauſam eſſe *calorem non ſqualidum,* qui ſiccandi vim habet, *ſed humidum,* quique aut per totum corporis habitum diffuſus, aut jecori, lieni aliisque partibus inſitus & adauctus ſit. Hinc nudum corpus ſoli expoſitum non tàm promptè deſudabit. Sicciori-

Inſtit. Medic. l. 2. c. 7 part. 2. pag 216.

ribus

ribus etiam per ætatem, aut per morbum, & quibus lien, vel jecur inaruit, nulla vi, ne per febres quidem poſſunt ſudores educi. *Excitant* autem *calorem hunc* modò per ſe, modò per accidens, ſex res non naturales, puta, aêrem æſtivum, aut quemvis calorem externum, cibum item, præcipuè aromatizatum, & potum vini generoſi, cujus ignei caloris vires poculatores iſti optimè ſentiunt, qui laudi ſibi ducunt vas vini plenum hianti ore ebibiſſe; nec excludimus vigilias, vehementes exercitationes, atque animi varia *παθήματα*. Huc facit *Subjecti diſpoſitio* variè adjuvans, ratione idioſyncraſiæ, conformationis, ætatis, ſexus & vitæ conditionis. 2. *Quoad ægrotos*, virtuti naturæ ſuperaddimus *calorem* in corpore accenſum *præternaturalem & morbificum*, qualis in febribus accidit, ubi materia tam cruda, quàm cocta à calore iſto attenuatur & reſolvitur.

Theorema VI.

Cauſa** movens **eſt facultas expultrix naturalis, ope caloris continuati materiam attenuatam ad, & per cutem excludens.

Εξήγησις.

Sudoris materiam, uti dictum, jam reſolutam non quieſcere, ſed ultra moveri, palàm eſt. Cum enim (ut in Theor. 2. habetur) ſudor ſit effluvium miſtum, igitur etiam conſiſtet in motu, tanquam affectione omnium effluviorum. Si movetur, quæritur à quonam? Non à ſemet ipſo, hoc enim pro Canone habent Philoſophi: Quicquid movetur, illud movetur ab alio, tanquam cauſa pellente & motrice, igitur

etiam

etiam præſupponenda eſt cauſa aliqua. Rectè ergò tendimus quoad *cauſas internas* ad principalem & inſtrumentalem cauſam. *Principalis* neceſſariò erit facultas quadam animæ, & potiſſimùm vegetativæ, patet verò, quod huc nil conferat concoctrix, multò minus retentrix, ſed potius *expultrix facultas*, quæ Medicis paſſim Naturæ nomine venit, hæc etenim circa materiam ſuam fluxilem & potiſſimùm ſeroſam, verſatur, tanquam objectum ſuum mobile & hinc cauſæ principalis nomen meretur. Neq; tamen ſub nomine facultatis expultricis intelligimus illam, quæ animalis dicitur, & muſculorum ope perficitur, ſed naturalem ſimplicem, nutricis famulam, quæ ab intra ad extra. vel noxia, vel ſuo modo ſaltem ſuperflua & ad nutritionem inepta propellere ſolet. Vtitur porrò natura ad ejiciendum humorem inſtrumenti ope, nimirum *calore naturali*, humorem modo reſolutum uſque & uſque ad cutem propellente. Excludimus autem hîc quoque calorem acrem, ſiccumque, qui ignea ſua vi materiam potius ſine ſudore inſenſibiliter diſcutit, quàm debitè promovet, cùm contra humidus calor actionem ſuam continuando perfacilè rarefaciat liquorem iſtum, & attenuatum ſenſim moveat, atque protrudat, usque dum per exteriora cutis ſpiracula erumpens, cutaneam ſuperficiem, tanquam terminum ultimum attigerit. Accedunt his frequentes *cauſæ externæ*, puta exercitia corporis, quæ calorem, ob ſanguinis, & ſpirituum agitationem, poſſunt augere, & intenſiorem reddere, ſive illud fiat currendo, luctandove, digladiando, equitando, pilam quamcunque tractando, aut durius, diutiusque laborando. Nec præmittendus eſt calor externus, ſive ſolis, ſive hypocauſto-

rum, & quiſquis alius, qui partim poros aperiendo, partim humores attrahendo, vim expultricem adjuvat, ſudoremque prolicit. Notamus inſuper *in ſtatu corporis præternaturali* cauſam etiam eſſe geminam, unam, quæ pariter eſt natura, in κρίσει materiam morbificam per ſudores expellens; alteram verò longè diverſam, ſcil. vim morbi, ſeu mavis, cauſæ morbificæ, ubi in ſpecie natio Medicorum evacuationem illam, quâ contra naturæ intentionem, materia nondum concocta, in principio ſtatim ægrotationis ejicitur, Symptomaticam malamque appellare conſueverunt.

Theorema VII.

Condenſans *cauſa eſt frigus proportionatum, vel calor remiſſus, effluxam materiam modicè cogens.*

Ἐξήγησις.

Devolvitur ordo ad tertiam, ac proinde ultimam cauſam, quæ ſudori denominationem imponit, eumque in ſuo eſſe ultimo conſtituit. Sudor eſt liquida & fluxilis ſubſtantia, antea tamen longè tenuior, rariorque exiſtens. Facta igitur hic eſt mutatio ex denſo & liquido in rarum, ac tenuè, & ab hoc rurſum in denſum & liquidum in qua ultima mutatione tandem ſubſiſtit, & propterea ſudor nominatur. Mutationis hujus *cauſa* ultrò ſe offert, illa nimirum, quæ peculiari ſua *condenſandi vi* in materiam, qualis eſt vapor, agit, atque ſic inter manifeſtas qualitates nulla alia occurret, quàm *frigus, vel calor remiſſior, aut tepor quidam.* Sola

C quip-

quippe frigiditas, teſte Ariſtotele, & omnium Phyſicorum choro, & ipſa adhæc experientia atque ſenſu, vim homogenea & heterogenea congregandi, quodque fluxile eſt, condenſandi, ſiſtendi, imò & rigefaciendi, indurandique obtinet. Hinc æſtuantibus viſceribus, aëreque nonnihil frigido corpus ambiente, promptior, largiorque ſudor manare ſolet. *Gradum autem frigiditatis* intenſiorem hîc non attendimus, talis enim non condenſat, ſed congelat, imò ſubſtantiam quamvis aqueam in glaciem planè convertit, ſermo igitur nobis eſt de gradu remiſſiore, nimirum reſpectu caloris reſolventis, ut ita non ſimpliciter ad condenſationem vaporum manifeſto frigore opus ſit, cum etiam calor comparatè loquendo illud præſtet. Illuſtramus hoc exemplis ex arte Chemica, & Macrocoſmo petitis. Nunquid in vaſis Chemicorum deſtillatoriis, ſuſcitati vapores modico & debili alembici frigore, aut, ſi mavis, tepore, ſubito condenſantur; guttatimque per roſtrum extillant? An non ollarum operculis, balneorum, conclavium & antrorum calentium & humentium parietibus ac feneſtris ſudantes adhærent guttulæ? Nonne etiam vapores à medii aëris modico frigore in pluviam, immodico autem in grandinem condenſantur? Idem judicium in Microcoſmo de ſudore ferendum. Nec repugnat hîc liquidi humoris natura, qui etiamſi reſolutus, facile tamen condenſabilis, inque priſtinam ſubſtantiam reducibils eſt. Et quidem juxta Ariſtotelem, humidi eſt ſuis difficulter contineri terminis, maximè, ſi aëreum, minimè verò ſi aqueum ſit, hoc enim promptius ad ſe redeundo coit, quia denſius.

Theo-

Theorema VIII.

Generato ſudori tres perinde competunt cauſæ: materialis, formalis, finalis.

Ἐξήγησις.

Tantum de ſudore in fieri, quatenus adhuc in cauſis, terminisque generationis ſuæ hæret, nunc alio conſiderandi modo eundem, prout extra ſuas cauſas jam emerſit, ſive jam productus exiſtit, contemplabimur. Generati itaque ſudoris *materialem cauſam* eſſe humorem, non quatenus reſolubilis, ſed jam ipſo actu reſolutus atque condenſatus eſt, in confeſſo habetur, eodem modo, quo vapores & generata inde meteora, pluvia, pruina, nix & grando inter ſeſe differunt; ita ut humor, utrinque idem, ſola partium continuitate ac diſcretione à ſe ipſo diverſus ſit. Adeòque tota ſudoris generatio per διάκρισιν καὶ σύγκρισιν hoc liquidum reddit. *Pro cauſa* autem *formali* externam, & guttiformem agnoſcimus figuram. Aqueæ enim guttulæ quam promptiſſimè globoſam, induunt figuram, omnesque liquores in rotundum ſeu ſphæricum tumorem haud ægrè, qua occaſio datur, ſeſe attollunt. Simile quid deprehendimus in hypocauſti calefacti orbibus vitreis, nec non in ollarum operculis. Pluviæ quoque decidentes rotunditatem amant. Pari ratione ſudoris è cutis ſpiraculis exudantis guttulæ naturalem omnium humorem liberè concreſcentium figuram, naturamque æmulantur, & hinc deciduæ defluxæque in orbem ſe cogentes, inſtar pluviæ, à corpore & habitu externo modo confertim, modo ſtillatim depluunt. Internam ſudori denegamus formam, materiæ

riæ tamen ratione, attribuimus ei ſeri, bilis, ſanguinis aliorumque humorum formas atque proprietates, quas tamen ſudor non proprio, ſed adſcititio titulo ſibi vendicare poteſt. Tertia *cauſa finalis* gemina eſt, prima quidem bona, & *per ſe talis*; quæ *vel ipſa eſt valetudo* ac ſalus animalium, ſi nimirum in ſanis per ſudorem erumpentem morbi ex abundantia humorum, ſerique inprimis provenientes præcaventur, ægri verò actu jam morbo correpti per criticam evacuationem ab iisdem vindicantur, vel ſecundo *ſigni rationem* ſudor ſubire poteſt, quo valetudinis utriusque ſtatus innoteſcere poterit, quemadmodum apud Medicos ſudor calidus univerſalis, die critico, crudaque materia prius concocta factus, ſemper bonum aliquem eventum portendit. *Finalis altera priori oppoſita & per accidens;* naturam reſpiciens, noxia, & morboſa eſt, vel enim ſudor *ut ſignum* morbum vel mortem portendit, vel *ut cauſa* modo poſitivè, modo privativè morbos tàm internos quàm externos creandi compos eſt, vel denique *ut ſignum, & cauſa ſimul* ſeſe exhibet; atque ſudores ejusmodi uſitatè Symptomatici appellari ſolent.

Theorema IX.

Affectiones ſudorem conſequentes ſunt:
1. Quantitas, *ſeu Copia*, 2. Qualitas, 3. Motus.

Εξήγησις.

Affectiones ſudoris ejusdem cauſis immediate ſubjungimus, quia ſudor eſt ſubjectum tractationis,

&

& accidentium, quæ illi inhærent. Horum tria expendiſſe, ſufficiat. Primum eſt *quantitas*, quæ ſudori pro ſubjectorum, & materiæ varietate varia competit. Nonnullos enim reperias tàm humidos, tàm calidos, atque poroſos, ut *largo & prodigo ſudore* facile diffluant. Sic melancholici & lienoſi multum ſudare, crebrò mingere, & ſæpè expuere ſolent. Sic etiam cauſæ omnes ſudorem generantes ſi exceſſivæ fuerint, plus juſto ſudoris copiam promovent. Aliqui verò è diverſo ſunt, ex quibus non minus, ad de pumice ſudorem fruſtra expectabis. Taliaque corpora contrarias prioribus cauſas gerunt. Haud raro tamen debita ſudoris effuſio ſequi ſolet, quæ naturæ proportionata, nullam valetudini vim infert, & tàm ægrotis, quàm ſanis frequens eſſe deprehenditur. Provenit autem ejusmodi ſudor à cauſis omnibus intra mediocritatis & ſtatus ſui naturalis ſphæram permanentibus atque agentibus. Quantitati ſuccedunt 2. *qualitates*, quas, cum jam de illis aliquid dictum ſit, ſicco ferè pede tranſibimus, factâ tamen eorum, quæ omiſſa ſunt, aliquâ mentione. Verè enim præter *primas manifeſtasque* qualitates, quales ſunt tactiles, puta frigiditatem, caliditatem, viſciditatem, & craſſitiem, deprehendimus quoque in ſudore reliquas proprietates miſti: & primò *quoad colorem* quandoque ſudores pallidum, flavumque, non raro viridem, imò ſanguineum hinc inde obſervarunt Medici. Nigri ſudoris, mentionem fecere *Avicenna* & *Zacutus Luſitanus*. Rarus eſt viridis, frequentior ſubrubeſcens, à ſanguine ichoroſo, ex creberrimis ſunt flavus & pallidus, à bile & ſero excitati. Neque etiam *ſaporis* expers eſt ſudor, ſed habet à ſero admixtam quandam ſalſitudinem, à bile

Prax. admir. lib. 3. obſ. 76.

bile amariciem, à pituita, ſeroque acido acorem, dulcedinem verò à ſero mitiore & laudabili. *Odorem* denique ſudores præ ſe ferunt multivarium, ſæpe quidem tolerabilem minusque ingratum, multoties etiam fœtidum, pro diverſa pravæ, corruptæque materiæ copia, & mixtura. Hinc ſudorum quidam hircum, nonnulli caſeum corruptum, alii cadaver putridum redolent, præſertim verò qui ex obſcœnis partibus, ex pedibus, & ſub alis erumpunt. Fœtidi ſudoris exemplum recenſet *Zacutus Luſitanus.* Gratus, & ſuaveolens, uti rariſſimus omnium eſt: ita rariſſimo etiam Monarchæ Alexandro Magno, *Qu. Curtio* teſte, proprius fuit, is enim poſt exercitia paulò ſtrenuiora fragantiſſimum è corpore odorem ſparſit, totumque conclave amabili ſuo, gratoque ſudore replevit. Cæterum cùm ſudor ſit effluvium, neceſſariò eum comitatur 3. *Motus*, qui & ipſe diverſus eſt. Nonnunquam enim *lento & ſucceſſivo, ſive paulatino motu educuntur* ſudores, iique tàm noctu in lecto, quàm & interdiu à calore motuq; aliquantum concitato. Haud raro etiam *ἀϑρόως & profuſiſſimè erumpunt* tàm criticè, quàm ſymptomaticè, id eſt, tàm cum, quàm ſine ſalute ſudantis. Nec minus vehemens, ac diuturna corporis agitatio, cum calore externo humido, laborioſos æque ac copioſos exprimit ſudores. *Carolus Piſo* ſcribit de Ambroſio quodam milite & illluſtri quadam virgine, quod illa pluvioſo tempore febre ſynocha laborans perenni propè ſudore per pluſculas horas fuerit plane exhauſta, ac decimo quarto poſt die extincta. Obſervavit quoque in alia matrona tàm largum, ac copioſum, ut Februarium integrum, & magnam Martii partem totas noctes profuſiſſimè diffluxerit. Hujus ſortis ſu-

Prax. admir. lib. 3. obſerv. 74

Libro de morb. à ſeroſa diluv obſ. 151 & ſeqq.

ſudor eſt ille, qui Anglicus, colliquativus, & ſyncopticus, ut & diaphoreticus, hecticusque, à Medicis appellatur.

Theorema X.

Circumſtantiæ etiam expendendæ veniunt. 1. Subjectorum. 2. Locorum. 3. Temporum.

Ἐξήγησις.

I. Subjectum in genere Theor. 3. explicatum eſt, jam paucula exigente ſic ordinis ratione ſuperaddemus, Subjectum ſudoris ſunt tùm ſani, tùm ægroti, cum namque ſudor, vel ſudatio affectionis cujusdam vicem ſubeat, eidem ergò aliquod ſubjectum debetur. Sic & ipſa edocet experientia, ſudores omnibus omnis ſortis, tempeſtatis, ætatis, regionisque hominibus magis, minusvè familiares & frequentes eſſe. Quæ extrinſecæ varietates diſcrimen aliquod à Theoremate tertio pariunt, per iſtas nempe ſubjectum extrinſeco, & accidentali modo denominatur. *II.* Quamvis ſubjectum, & *Locus* ſudoris fermè conveniant, nihilominus differentiæ aliquod intercedit, ratione terminorum localium, qui etiam perquirendi, & definiendi ſunt. *Terminus à quo* ſudor progreditur, non incommodè poteſt diſpeſci in internum, & externum, fluit ſudor ab interna corporis regione, prima & ſecunda, ubi viſcera humore, caloreque naturali abundantia continentur, inteſtina nimirum, ventriculus, ductus lymphatici, hepar, pulmones, lien, renes, meſenterium, vaſa majora, uterus, & alia. Hinc aqua æſtivo tem-

tempore ab exercitatis liberalius hauſta non ſtatim ad externas corporis partes immediatè pergit, ac dilabitur, ſed aliquandiu huc atque illuc in ventre fluctuans primùm attenuatur, inque totum corpus diffunditur. Hinc etiam febres intermittentes atque continuæ non rarò liberali ſudoris excretione tolluntur, illarum autem ſentina non niſi in antro viſcerum communi ſtabulatur. Hinc è contrario, uti *Iacobus*
comentar in Aphor. Hipp. S.4. m.p.370
Hollerius refert, *ſiccioribus per ætatem, aut per morbum, ut hecticis, & quibus jecur, vel lien inaruit, vel magna obſtructione, vel ſcirrho induruit, ut in hydrope, in ictero, aut in cachexia, nulla vi poſſunt, ne per febres quidem, ad ſudores induci, ſcilic.* quia partium corporis mala diſpoſitio vetat, quo minus ſudoris materia, licet abunde ſupetat, poſſit ab interno in externum corporis habitum diſtribui. *Terminus per quem*, ſunt vaſa minora, & hahabitus corporis, ejusque potiſſimum carnes, per harum nempè partium meatus patentes, latentesque attenuatus liquor tranſit, & ad cutem, ultimamque cuticulam uſque penetrat, in quibus tanquam *terminis ad quem* ſudor tandem colligitur. Nec prætereunda ſunt locorum regionumque diſcrimina, in locis enim humidis, & calidis, vel ſubfrigidis, auſtralibus, occidentalibus, maritimis, paluſtribus, tùm & in zonis temperatis, ipſaque torrida, ubi cœlum humidum terræque maritimæ ſunt, ſudores dubio procul promptius generantur & emergunt. *III. Tempus* quo ſudores fiunt, plus, vel minus, varium eſt, ratione ætatis, partium anni, ac diei, ut & in ſtatu morboſo, quoad initium, augmentum, ſtatum atque declinationem. Sic promptior largiorque ſudor ſpontaneus fluit in tenera & humida, quam adulta & exucca ætate;

co-

copioſior etiam verè & auſtrali æſtate quàm hyeme, vel autumno, vel Sirio urente provocantur. Adhæc nocturno tempore ſudores magis, quàm interdiu promanant. Tum & apud ægrotos plus ſudoris virtute naturæ in declinatione, quàm reliquis morbi temporibus erumpere ſolet. Cauſæ autem ſudoris hujus alio atque alio tempore liberalioris, ex præmiſſa ſudoris ætiologia absque ſudore elici poſſunt.

Theorema XI.

Diviſio ſudoris, vel differentia potius accidentalis deſumitur à ſubjecto, cauſis *&* accidentibus.

Ἐξήγησις.

I. Primus diviſionis *fons* erit *ſubjectorum diverſitas*, cujus meritò Sudor alius eſt brutorum, alius hominum, horumque vel ſanorum, vel neutrorum, vel ægrotantium. Alius inſuper eſt virorum, mulierum, alius infantum, puerorum, adoleſcentum, adultorum, vel ſenum. Corporis dein ratione dividitur in univerſalem, qui eſt totius; & particularem, nempè capitis, pectoris, ventris, & artuum. *II. Alter fons cauſarum* ſudorem modò naturalem, modò præternaturalem, & vel criticum, vel ſymptomaticum, jam ſpontaneum, jam laborioſum profert. *Materiale diſcrimen* ſudorem parit ſanguineum, ſeroſum, bilioſum, tartareum, & melancholicum. Ratione *finis* alium ſalubrem, alium inſalubrem dicimus, & hunc vel morbificum duntaxat, vel plane

D le-

lethalem, cujus cenſus eſt ſudor ſyncopticus. *III. Ab accidentibus*, ratione quantitatis ſudor vel copioſus, mediocris, vel paucus eſt. Ratione qualitatum manifeſtarum & tactilium, alius eſt calidus, vel frigidus, alius tenuis vel craſſus, lentus ac viſcidus, quoad occultas qualitates, alius venenatus, malignus & peſtilens vocatur. *IV. Colores etiam, odores, ſaporesque* varia ſudoribus diſcrimina imponere, jam ſupra expoſitum eſt. *V.* Differt adhæc ſudor ratione *motus*, alius enim eſt celer, qui confeſtim erumpit, alius tardus, lentus, & ſucceſſivus, qui ſenſim è cute prodit. *Temporis* ratione alius eſt diuturnus, vel brevis, alius interruptus, vel continuus, alius nocturnus, vel diurnus. *Loci* beneficio ſudor in ſpecie Anglicus huc pertinet, qui in Anglia primùm exortus poſtea tamen etiam in Germaniam graſſatus eſt.

Theorema XII.

Reſpectiva diſquiſitio fertur in ſudorem ſub triplici ſchemate. 1. Effectus *ad ſuam cauſam, & reciproce.* 2. Signi *ad ſignatum.* 3. *In Medicina* indicantis *ad indicatum, & vice verſa.*

Ἐξήγησις.

Ab eſſe ſudoris abſoluto, tranſeundum nunc ad eſſe ejusdem reſpectivum, poteſt namque, ſicut plura alia, reſpectum quendam ad aliud ſecum ferre. Sic 1. Quia relatorum eſt, per ſe mutuò cognoſci ac definiri, ſe mutuò ponere ac tollere, ideò ſudor tan-

tanquam *effectus*, ſuam arguit cauſam, ad quam relativè dirigitur. Neque enim ſudor ſine materia ſudoris cognoſci ac definiri, nec poni tollique, & viciſſim, neque illa ſine hoc ſuo materiato eſſe poteſt. Hinc etiam ex ſudoris materiâ, cauſam ejusdem cauſæque indolem venamur. Sic amarus ſudor, ad materiam bilioſam, ſalſus ad ſeroſam, rubicundus ad ſanguineam, referuntur. Medicus verò ulterius ad alias etiam cauſas progreditur. Exemplo ſit ſudor fœtidus, qui Medicum deducit ad materiam aliquam corruptam & putridam, hæc ad viſcera depravatæ actionis, hæc ad morbum aliquem intemperiei; vel mixtionis; & hic tandem ad caloris nativi imbecillitatem. Viciſſim; ſudor *cauſæ* vicem ſuſtinens, ad ſuum effectum refertur, qui, ne ſicco pede prætereatur, vel bonus, vel malus eſt. Bonus quidem, quando ſudor univerſalis vim materiæ morbificæ omnem critico motu ſecum excludit, aut venenatum, ac peſtiferum ſeminium extrudit, aut in puſtulas, aliaque exanthemata interdum convertitur, quando præ nimia ſudoris copia vel craſſitie, vel cutis occluſione non omnis per cutem tranſire potuit, ita ut nihilominus natura onere ſuo ſublevata melius inde ſe habeat. Inter malos verò effectus poſitivos numeratur, ſi noxius, virulentus, & peſtilens ſudor, alium ſanum contagioſè inficiat, vel ſi pravus & corruptus in puſtulas, ulcera & alia cutis vitia tranſeat. Privative autem nocet ſudor, quando vel ſupprimitur excludendus, morboſque parit. Vel excluſus affligit ut ſymptomaticus, ſyncopticus, diaphoreticus, nimia videlicet copia effluens, unde vel morbum aliquem graviſſimum, vel

mortem ipſam, ob ſpiritus nimis exhauſtos, inferre ſolet. 2. Sudor adhæc *ſigni* rationem gerit, ad ſignatum. Denunciat enim ſudor ſuam cauſam, ſuum morbum, ſubjecti etiam complexionem & cacochymiam ægrotorum; Reciproce demum, ſudor ut *ſignatum* ad ſignum ſuum præſagiens ſe ſe habet. Hoc modo cauſæ ſudorem excitantes, harumque accidentia, ut repletio corporis à cibo & potu, humores cacochymici, motus, calor & alia, quæ ſimul ſudoris interdum prænuncia ſunt. 3. Magis medicè, ſudori quoque *indicantis* vicem tribuimus, cujus indicatum eſt ſuppreſſio & inhibitio. Ita nimii ſudores ex calore & motu, ut & ſymptomaticè excitati, revocandi ac ſiſtendi ſunt. Perinde etiam correctionem ſui, ſive alterationem inſinuare ſolet, materiâ ejus ad benigniorem ſortem reductâ. Quin etiam *indicati* uſum præſtare poteſt medicis, quando morbus vel cauſa morbifica ſudorem ceu remedium indicant & expoſcunt. Sic peſtilens venenum eſt indicans, ſudor autem ſive ſolius naturæ, ſive artis ſimul ope per alexipharmaca & diaphoretica propulſus eſt indicatum; quia per ſudorem & cum ſudore venenata & noxia quævis myaſmata abiguntur.

Theorema XIII.

Ad externum conceptum quadrant. 1. Cognata *&* *analoga.* 2. *Adverſa, &* oppoſita.

Ἐξήγησις.

Ad *Cognata* propius accedit. 1. Illa ſudandi ratio, quæ Hippocrati ἐφίδρωσις dicitur, nec in toto corpore

pore, ſed ſaltem in quibuſdam partibus conſpicitur; eſt enim ſudor leviſſimus, & exiguus, qui ob debilitatem ægrum nec juvat, nec morbo ſolvendo ſatis eſt, paulo tamen fortior illo, quem 2. *madorem* dicunt, qui cutem modico ſaltem humore madefacit, nec in guttulas, quæ in ſenſum incurrunt, ſe ſe cogit. Huc pertinent 3. aliæ quoque *cutis ſordes* nonnunquam emergentes. 4. Extra hominem analogiam cum ſudore gerunt *ros* & *pruina* in pratis & hortis. Ros etiam in herbâ, *Ros Solis*, vel *Rorella* appellata conſpicuus. De qua *Ionſtonus* recenſet, quod, *quantumvis diu Sol fervidus æſtate eam illuſtret, ejus tamen folia ſemper rore & humiditate madeant.* Huic non abſimilis eſt arbor nebuloſa, & pluvioſa, cujus ex *P. Bertio Ionſtonus* hiſtoriam recenſet. *In Ferri Inſula una ex Canariis, nulla eſt aqua ardenti ipſa cœlo, ſolo arido, ſquallentes æſtu homines & pecudes deſtituit: ſed ibi arbor eſt, cujus ſpecies ignota, folia longa, arcta, & perpetuò virentia. Eam ſemper nubecula circumdat, ex quâ ita folia humectantur, ut ex ea limpidiſſimus liquor exſtillet, quem vaſis circa arborem diſpoſitis incolæ excipiunt.* Hujus claſſis etiam ſunt *lachrymæ vegetabilium*, aquæ reſinoſæ, & balſamicæ, e. grat. Ceraſi, Lentiſci, Terebinthi arborum balſamifluarum in Syria, Peru, ac Tolu. Porrò in *oppoſitorum* numerum veniunt, ſiccitas nimia, qualis in hecticis obſervatur, item ſqualor & ſudoris præter naturam ſuppreſſio, vel fuliginoſa effumatio quædam. Tandem & efficientis naturalis meritò ſudori ſalubri ac ſpontaneo, morbificus, & lethalis opponitur, qui, ut ægrotantibus vitæ: ita noſtræ tractationis infinitâ cum

DEI gloriâ erit

FINIS.

Admir. Plāt. c. 35. pag. 24.

Thav. elē. c. 3. Art. 6.

Præ-

Præſtantiſſimi Domini Reſpondentis dulc-amaro Virtutis ac Eruditionis Sudori

SACRUM.

SIC benè DESUDAS, imitans veſtigia magni
Patris, ſic lambet ſpongia blanda tuum
SUDOREM, Patrisque premes faſtigia magni;
Quæ, precor, ut SUDENT cœlica mella Tibi!

Sic applaudit, vovetque

PRÆSES.

II.

Ad Præſtantiſſimum

DN. RESPONDENTEM.

PErge modò, & qua Te ducit via, dirige greſſum,
Quaque facem magnus prætulit usque Pater:
Nec dubites, quin Te vita comitentur in omni
Laus olim tanti, Gloria, Honosque Viri.

GEORG-CUNRADUS BARDILI,
Philoſoph. & Medicinæ
Doctor.

III. The-

III.

Theſium harum Propugnatori provido,

DNO. THEOPHILO-LUDOVICO BREUNINGIO, ſuo quondam Diſcipulo gnaviſſimo, fœcunda Studiorum incrementa precatur

JACOBUS ABEL, M. D.

DUM Veneri litat hic: Baccho calet alter: & alter
Flebilibus ludis tempora fallit iners;
Inque peregrinis ſe dùm circumſpicit alter
Plumis, *mille* tui ſimia, Galle, *modis:*
Tu *Sudore* mades, Studiorum quem liquat æſtus:
Ut Tua ſat Theſium tela retexta probat,
BREÜNINGI. Hos Tu *Sudores Sudoribus* urge:
Sudorem in Succum vertet Apollo Tibi.

IV.

IN Medico-Phyſicis quanto SUDORE *labores,*
Hoc monſtras Scripto, ſuavis Amice, Tuo:
AEmulus ad calces magni veſtigia Patris,
Sis proles tanto digna Parente, monet

Fidelis Tuus, quem noſti,

M. ELIAS RUDOLPHUS CAMERARIUS, Tubing.

Deſine

V.

DEſine Sudorum cauſas Breuninge docere,
Hoc Tibi ſufficiat, ſunt maledicta DEI.
Non generatus homo violavit juſſa JEHOVÆ,
Inde mali labes, Sudor & inde venit.
Ulterius quærens Phyſicos dum detegis ortus
Sudoris, Sudor pectora feſſa premet.

Ita cum omnigenæ FELICITATIS
VOTO hortatur ac ominatur

JOHAN-CHRISTOPHORUS STEEB.

FINIS.